

perfectionem non afferat, est tamen capax recipiendi perfectionem essentia. Et ita est in proposito. In tantum igitur divine relationes dicuntur pertinere ad perfectionem divinitatis, & mysterium Trinitatis dicere summam perfectionem, in quantum essentia divina, cum sit infinite fecunda, petit communicari relationibus ut terminis sue fecunditatis; non autem quod relationes superaddant ipsi aliquam perfectionem relativam, virtualiter ab absoluta distinctam. Ita ut perfectio, quam importat relationes, aut mysterium SS. Trinitatis, se teneat ex parte naturae communicatae relationibus, non autem proveniat ex ipsis relationibus; sique ex negatione relationum, seu processionum inferretur, quidem Deum non fore perfectum, sed argueretur tantum & a posteriori, sicut ex defectu possibilitatis creaturarum inferretur a posteriori & per locum extrinsecum destructio omnipotentiae divinae. Itaque

Ad auctoritatem Concilii & Damasceni, R. eas esse intelligendas iuxta 1. notamen de perfectione absoluta essentiae, quam relationibus non denegamus; quae perfectio, ut diversis relationibus, & diverso modo existendi modificata, dicitur personalis; est enim in Patre ut ingenta, in Filio ut genita, in Spiritu S. ut ab utroque procedens; & hanc esse mentem Patrum patet; tunc quia ponunt Perfectionem in singulari; tunc quia To Perfectionem explicant per *Existentie modum*, ut Damascenus. Sunt igitur tres subsistentiae perfectae, tres relationes perfectae, tres personae perfectae, sed una perfectione essentiae diversimode modificata. Ad alias auctoritates, R. eas esse intelligendas ad sensum 2. notaminis.

Inst. S. Th. Opusc. 1. contra errores Graecorum c. 7. dicit: *Quid Pater suam perfectionem non habet ab alio, Filius autem et Spiritus S. perfectionem suam habent a Patre*; atqui nemo dicit suam, quod habet commune cum aliis: ergo praeter perfectionem absolutam, communem tribus personis, habent sibi propriam, & relativam. Ita Bancel. R. D. Minor. Nemo dicit suam, quod habet commune cum aliis quoad rem & modum, C. quod habet commune cum aliis quoad rem tantum, & proprium quoad modum, N. hoc igitur sensu dicit S. Th. Patrem habere suam perfectionem, Filium & Spiritum S. suam; quia, licet sit una entitativa perfectio tribus communis, participatur tamen ab aliis diverso modo unicuique proprio, ut diximus.

Repones: S. Th. q. 29. art. 3. docet, in Deo, cui attribuenda est omnis perfectio, respirari rationem personae, quia *Persona significat id, quod perfectissimum est in tota natura*; atqui haec ratio nihil probaret, si personalitas nihil adderet perfectionis essentiae: ergo R. N. Min. Licet enim personae divinae ratione subsistentiarum relativarum perfectionem non explicent, & duplicem tamen implicent, nempe subsistentiae absolutae, quam includunt, & naturae intellectualis, quam important in obliquo: est enim persona naturae rationalis individua substantia. Unde ex eo quod divina natura continet omnem perfectionem, recte infert S. Thom. rationem personae in eo reperiri.

Obj. 2. a priori: Omne reale existens in Deo importat explicitam perfectionem; atqui relatio est realiter in Deo existens, virtualiter distincta ab essentia: ergo importat explicitam perfectionem, virtualiter distinctam a perfectione essentiae. Minor est certa: Prob. Maj. 1. Quaecumque realis entitas, saltem prout existit, convertitur cum bonitate; repugnat enim, quod aliquid sit existens in rerum natura, & quod non sit bonum, cum sit obiectum, ad quod fertur voluntas, quae non potest amare nisi bonum; patetque ex D. Th. sup. q. 4. art. 1. & q. 5. art. 3. ubi resolvit, quod omne ens in actu sit bonum: ergo omne reale existens, &c. Prob. 2. Quod habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque ei deest in proprio genere, est perfectum, ut docet Arist. subscriptique S. Th. sup. q. 4. art. 1. Et patet ex ipsius nominis etymologia: perfectum est quasi perfectae actum; atqui omne reale existens in Deo, adeoque omnis relatio habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque ei deest in proprio genere, v. gr. Paternitati nihil deest ad perfectam, completam, & cumulatam rationem Paternitatis: ergo, &c. Prob. Maj. 3. Illud est bonum & perfectum, quod est conveniens rei, quae bona & perfecta dicitur; atqui omne reale existens in Deo est ipsi formaliter conveniens, & specialiter relationes conveniunt personis, utpote quae relationibus constituuntur; nihil autem est magis rei conveniens, quam ejus constitutivum: ergo. Prob. 4. Quicquid invenitur formaliter in ente perfectissimo, quale est Deus, spirare debet perfectionem: ergo, &c. Patet Ant. alias ens perfectissimum non decreet, nec esset formaliter in Deo, sed tantum eminenter eo modo, quo perfectiones secundum quid sunt in Deo: ergo. Haec fuisse prosequitur Contentionsus.

R. Totam hanc argumentationem facile solvi ex positis principiis, quibus probavimus nihil dici perfectum aut bonum, nisi dicat ordinem ad existentiam, & respiciat subiectum ratione sui. Unde ad 1. Majorem totius argumenti, D. Omne reale existens in Deo importat explicitam perfectionem ex parte, qua

importat existentiam, G. ea parte, qua non importat existentiam, N. Similiter ad Min. Relatio est realiter existens in Deo ex suo formali conceptu *Ad*, N. ex conceptu formali *In*, secundum quem identificatur cum essentia, C. Hinc fluunt solutiones ad quatuor probationes sequentes. Ad primam, D. Maj. Quaecumque realis entitas, saltem prout realiter existit, convertitur cum bonitate ex ea parte, qua existit, C. ex ea parte, qua non existit, N. ex parte autem relationis formaliter, seu conceptus *Ad*, abstrahit ab existentia, vel non existentia, ut probavimus.

Ad 2. Prob. Quidam distinguunt inter bonitatem seu perfectionem transcendentalem, & perfectivam, seu qualificativam; majoremque concedunt de bonitate transcendentali, negant autem de perfectiva & qualificativa. Haec solutio est probabilis; sed, ut videtur, conformis principiis D. Th. statuti, aliter D. Maj. quod habet, quicquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque deest in suo proprio genere, est perfectum, si dicat ordinem ad existentiam, subjectoque conveniat ratione sui, C. secus, N. sic v. gr. mathematicalia, prout subsunt abstractioni a materia sensibili & singulari, item rationes specificae hominis, leonis, &c., praecise secundum suas formales rationes sumptae, licet concipiuntur habere, quicquid requiritur ad sui integritatem, quia tamen abstrahunt ut sic ab ordine ad existentiam, non sunt bonae, nec perfectae, ut docet D. Th. de verit. q. 21. art. 2. ad 4. & cum eo Thomista in Metaphysica.

Ad 3. Prob. R. 1. D. Maj. Illud est bonum & perfectum, quod convenit subiecto ratione sui & cum ordine ad existentiam, C. secus, N. Et ad hunc sensum, D. Min. N. Consequ. Ad Majorem explicationem R. 2. data Majori, N. Min. Etsi enim relationes divinae reipsa conveniant diversis personis, quas constituunt, quia ratione essentiae sunt reales & existunt, tamen ut sunt puri respectus ad terminum, praescindunt a ratione convenientiae cum illis. 1. Quia sub hac formalitate praescindunt ab existentia, & ab ordine ad illam; in tantum autem est aliquid alteri conveniens, in quantum existit, vel dicit ordinem ad existentem. 2. Quia non respiciunt subiectum ratione sui, sed ratione termini correlativi: in tantum autem aliquid dicitur alteri conveniens & consonum, in quantum illud respicit ratione sui, & in illo stat, ut diximus. Unde inferes, relationes divinas neque esse infinitas secundum se, neque finitas, sed ab infinitate aut finitate, sicut a perfectione vel imperfectione abstrahere, eo fere modo quo homo, licet a parte rei sit albus vel niger, secundum se tamen ab utraque qualitate abstrahit.

Ad 4. probationem, D. Ant. Quicquid formaliter reperitur in Deo, debet spirare perfectionem ex parte sui, vel alterius cui necessarium est, C. semper ex parte sui, N. sufficit enim, quod sit tale quid sine quo res perfecta non subsisteret: sic est autem in proposito; licet enim relationes ratione sui non explicent perfectionem, necessario tamen requiruntur ad perfectionem divinitatis, quatenus sunt termini divinae fecunditatis, quibus communicatur ipsa divina perfectio.

Inst. Si foret in Deo unica subsistentia, diceret perfectionem ab essentia distinctam; atqui non est assignabilis perfectio, cur ex pluralitate subsistentiarum personalitas amittat perfectionem. ergo R. N. Min. & assigno rationem; quia scilicet, si daretur in Deo unica subsistentia, vel foret ipsissima Dei essentia sine distinctione virtuali, ut plures censent de subsistentia absoluta; vel saltem adderet aliquid absolutum ad essentiam & consequenter perfectionem: nunc vero, cum nihil nisi relativum addat, ideo non addit perfectionem.

Repones: personalitas creata dicit perfectionem realiter modaliter a perfectione naturae distinctam; atqui relationes divinae sunt personalitates divinae: ergo a fortiori, &c. R. D. Maj. personalitas creata, sumpta quoad perseitatem independentiae dicit perfectionem, C. sumpta quoad perseitatem incommunicabilitatis, N. Similiter D. Min.; atqui relationes divinae sunt personalitates Dei quoad perseitatem incommunicabilitatis, C. quoad perseitatem independentiae, N. Personalitas igitur duo dicit, perseitatem independentiae & incommunicabilitatis ulteriori supposito; primum importat perfectionem, non secundum (non est enim perfectio alteri non posse communicari) primum autem persona divina habet a subsistentia absoluta, secundum a relationibus. Unde non sequitur ex nostra sententia, personalitatem creatam esse perfectionem personalitatis divinae, ut male infert Contentionsus.

Et hinc solvet aliud argumentum, quod sic proponitur. Personalitas creata est perfectio; atqui personalitas Verbi, ut virtualiter distincta ab essentia & vi conceptus relativi terminat naturam humanam in Christo, & in hoc supplet vices personalitatis create: ergo personalitas Verbi vi conceptus relativi est perfectio. R. ex dicit D. Major. personalitas creata quantum ad perseitatem independentiae est perfectio, C. Maj. quantum ad perseitatem incommunicabilitatis, N. Maj. Ad hunc sensum D. Min.; atqui personalitas Verbi vi conceptus relativi supplet

vi-

vices personalitatis create, quantum ad perseitatem incommunicabilitatis, C. Min. quantum ad perseitatem independentiae, N. Min. quantum ad hoc enim supplet vices personalitatis create vi subsistentiae absolutae, quam implicite importat.

Urgebis: personalitas Verbi, ut virtualiter distincta ab essentia, & ut relatio sanctificat naturam humanam; atqui sanc-

titas necessario explicat perfectionem: ergo R. D. Maj. personalitas Verbi ut relatio sanctificat naturam humanam ut quod, Transeat; ut quo, Subdistinguo: ratione naturae divinae, quam implicat, C. Min. ratione sui, ut est relatio, N. Min. & Consequ. Consule Tract. de Incarnat. ad q. 7. D. Th.

## DISSERTATIO IV.

## DE PERSONIS IN COMMUNI, EARUM PLURALITALE, modo loquendi de illis, earumque notionibus.

## Div. Thom. Quest. 29. 30. 31. 32.

## ARTICULUS I.

Quid est Persona? An sit idem cum hypostasi, & subsistens? An proprie sit in divinis; & quid significet?

D. Th. Q. 29.

Quaeritur 1. quid sit Persona? R. Persona recte definitur a Boetio libr. de duabus naturis, *Rationalis natura individua substantia*. Hanc definitionem hic, & alibi explicat, & defendit S. Th. (*Hic q. 29. art. 0.*) & cum eo communiter Theologi.

Pro quo nota, quod, quamvis nomen personae derivatum sit a representando seu personando alicujus gesta, ut fit in comediis, in quibus olim, ut notat Boetius, recitatores ad representandum aliquem, cujus gesta recitabant, larva quadam faciem volebant, & sic recitationem suam personabant; quia tamen iudicium de nomine non debet esse secundum id, a quo imponitur, sed secundum id, ad quod significandum imponitur; sicut lapis, licet dicatur a ledendo pedem, non tamen omne ledens pedem est lapis; hinc, quamvis, ut dixi, nomen personae a personando, & representando etymologiam derivet, inde tamen communi usu tractum est ad significandos ipsos homines substantialiter in se; qui usui frequens est in Jure civili, dum agitur de actione, seu injuria personarum; imò, & in Scriptura, ut patet Sap. 6. *Non subtrahit personam cuiusquam Deus*. At Auct. 10. *Non est personarum acceptor Deus*. Et alibi. (*Ibid. art. 3. ad 2.*) Et quia in comediis, & tragediis representabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen Persona ad significandum aliquos, dignitatem habentes. Unde consueverunt dici Persona in Ecclesiis, quae habent aliquam dignitatem.... & quia magne dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis aut intellectualis naturae, puta Homo, Angelus, Deus, nunc apud omnes dicitur Persona. His notatis,

Explicatur definitio: dicitur *Substantia*, quae tenet locum generis, & supponit pro substantia completa: non solum solim accidentia, sed etiam partes sive integrales sive essentiales, imò, & anima rationalis; etiam in statu separationis, excluduntur a ratione personae. Ponitur *Individua* loco differentiae, id est, ita singularis, ut etiam sit incommunicabilis: quapropter Richardus a S. Vict. hanc particulam *incommunicabilis* definitioni personae majoris explicationis gratia addit. Porro iuxta scriptum ad Hamibald. d. 5. quest. unica art. 2. persona excludit triplicem communicabilitatem, scilicet universalis ad inferiora, quia est singularis; partis ad totum, quia est substantia completa; naturae ad suppositum, quia est ultimo terminata. Hinc a ratione personae excluditur humanitas Christi; quia, licet sit individua, & singularis, prout singulare opponitur universali, non est tamen incommunicabilis supposito. Item & essentia divina ut praeterea personis; quia, licet subsistat subsistentia absoluta, est tamen illis communicabilis. Subsistentia tamen relativae in Deo sunt verae personae; quia, licet natura sub illis sit communicabilis, ipsa tamen persona, seu ipsa natura reduplicative ut personata, non est communicabilis, etenim persona Patris, aut natura ut in Patre, non est communicabilis Filio; & hoc sufficit in divinis ad rationem personae, licet forte non sufficiat in humanis. Quia, ut recte notat Joannes a S. Th. personalitates divinae sunt relativae, non absolutae. De ratione autem relativae est, quod habeat correlativum, & quidem licet distinctum a se in quantum oppositum sibi, non tamen a se distinctum in eo, in quo non est oppositum: porro inter relationes, & naturam nulla est oppositio, sed tantum inter ipsas relationes ad invicem. Relatio igitur in divinis habet correlativum terminum intra eandem naturam, ideoque non est terminus adequatus naturae, sed inadecuatus,

Theol. Billuar. Pars Prima.

quia debet dare consortium alteri correlativo: unde non est de ratione subsistentiae relativae reddere ipsam naturam incommunicabilem, ut natura est, sed ipsam tantum personam relativam, seu naturam formaliter ut personatam, & non absolute, quia est terminus ejus inadecuatus, utpote relativus. Personalitas autem creata absoluta est, & ideo adequata; unde, non solum personam, sed etiam ipsam naturam reddit incommunicabilem: & propterea exclusa fuit hujusmodi personalitas, dum humanitas assumpta fuit a Verbo, ut dicemus de Incarnatione. Dicitur: *natura rationalis, seu intellectualis*; quia, licet alia composita substantialia naturarum irrationabilium habeant suam subsistentiam, & sint supposita, non tamen sunt, nec dicuntur personae; dicitur enim suppositum leonis aut lapidis, non persona; quia scilicet, ut diximus, nomen personae praesertim fert aliquam dignitatem, & ideo solis suppositis intellectualibus appropriatur.

Quaeritur 2. Utrum Persona sit idem, quod hypostasis, & subsistentia? R. negativè. (*Ibid. art. 2. 0.*) Quia hypostasis, & subsistentia magis late patent, quam persona; quod enim hypostasis, & subsistentia significant in toto genere substantiarum, hoc nomen personae significat in generationalium substantiarum.

Ad pleniorum hujus quaestionis intelligentiam, nota, magnam olim fuisse controversiam Graecos inter, & Latinos de hac voce graeca *Hypostasis*, de qua Gregorius Nazianz. orat. 21. in laudem magni Athanasii, & supra quam S. Hieronymus, consulit Damasum Papam. Latini existimabant, Hypostasim idem significare ac Usiam, seu essentiam; & ideo tres hypostasies rejiciebant, & Graecos eas admittentes Arianismi insimulabant: *Taceantur*, inquit Hieron. Ep. ad Damasum, *tres hypostasies, una teneatur: mihi credite, veniunt sub melle latee*, Graeci vero putantes personam usurpari ad similitudinem eorum, quae geruntur in Comediis, ubi unus homo plures exhibet personas, atque per eam non significari substantiam sed officium, seu qualitatem, Latinos unam hypostasim, & tres personas admittentes Sabellianismi accusabant, quasi in Deo unicum suppositum agnovissent, quod propter varios effectus, & varia officia modo diceretur Pater, modo Filius, modo Spiritus S. quod erat error Sabellii.

Sed tandem hoc dissidium, ortum, ut observat Nazianzenus citatus, ex verborum inopia, & quod non nisi de vocibus erat, compositum est, & communi consensu hypostasis accepta est pro persona, ita ut nullus sit modo Theologus Latinus, qui non fateatur in Deo tres hypostasies, sicut tres personas. Unde in Symbolo Athanasii ubi Latini habent, *alia est persona Patris*, Graeci habent *hypostasis*: imò hoc vocabulum ita commune evasit apud Latinos, ut unionem humanitatis in persona Verbi soleant appellare unionem hypostaticam.

Quoad subsistentiam, quae Latinis est, quod apud Graecos hypostasis, licet olim apud Latinos acciperetur pro essentia ut hypostasis, sicut patet ex Concil. Rom. apud Theodoret. l. 2. cap. 22. ubi dicitur Spiritum Sanctum habere unam cum Patre, & Filio subsistentiam, id est, essentiam; postea consensu communi usurpata est pro persona ex 1. Concil. Constantinop. in Ep. ad Damasum, ex Concil. Chalced. act. 16. Conc. 5. generali can. 1. Conc. 6. generali act. 4. & alibi; ubi praedicantur in Deo tres subsistentiae, non secus ac tres personae.

Quaeritur 3. utrum personae divinae possint dici tres substantiae: sicut dicuntur tres hypostasies, seu tres personae? Ratio dubitandi est; quia definitur persona per substantiam. Antè responsionem advertet, substantiam secundum etymologiam dici dupliciter, vel a sustentando, vel a subsistendo, seu per se existendo. Quo posito R. Si sumatur 1. sensu recte dixit Aug. l. 7. de Trinit. c. 5. Deum abusive vocari substantiam, quia scilicet nullis accidentibus substat. Si sumatur 2. modo, equidem maxime Deo convenit, quia est ens a se maxime per se subsistens, & ab omni alio independens.

ii

Hic

Utrum Personae divinae constituentur Relationibus?

Hec (Ibid.) de substantia secundum id, a quo nomen est impositum: si autem consideretur secundum id, ad quod significandum est impositum, secundum diversas rationes diversa fuit significatio, atque adeo aequivoatio. Graeci usurpabant illud pro persona, & hypostasi; unde dicebant in Deo tres substantias, ut testatur Aug. l. 5. de Trinit. c. 8. his verbis: Ple- riq; nostri, qui hoc Graeco tractant eloquio, dicere consueverunt unam essentiam, tres substantias. Latini vero usurpabant illud vocabulum pro essentia, ut testatur idem Aug. ibid. c. 9. his verbis: Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur cum dicimus substantiam, non audeamus dicere unam essentiam, tres substantias; sed unam essentiam, vel substantiam.

Quapropter, ut tollatur aequivoatio, & occasio erroris, & quia versatur inter Latinos, apud quos substantia 1. importat essentiam; non debemus dicere in Deo simpliciter tres substantias, sed cum addito tollente aequivoationem, v. g. tres substantias individas; hoc enim non est aliud dicere, quam tria supposita incommunicabilia.

Quæritur 4. utrum ratio Personæ proprie reperitur in divinis? R. affirmativè. (Ibid. art. 3. o.) Est de fide definitum in Concilio Tolet. II. & Lateran. cap. Firmiter receptum ab universali Ecclesia cantante ex Symbolo Athanasii, alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. Et patet ex his omnibus, quæ diximus de veritate hujus mysterii in Dissert. Proœmiali. Ad stipulatur ratio. (Ibid.) Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, quatenus importat, & naturam intellectualem, quæ est omnium naturarum perfectissima, & modum existendi per se, qui est omnium dignissimus. Quidquid autem perfectionis est, proprie reperitur in Deo: ergo. Item Persona est naturæ intellectualis individua, hoc est, incommunicabilis substantia; sed in Deo est natura intellectualis, & subsistentia incommunicabilis, non enim persona Patris communicatur Filio, nec e contra: ergo.

Dices 1. Juxta Dionysium c. 1. de divinis Nomin. Nihil est dicendum de occulta divinitate, præter ea, quæ divinitus nobis in sacris eloquiis sunt expressa; sed nomen personæ dictum de Deo non exprimitur nobis in sacra Scriptura veteris, vel novi Testamenti: ergo. (Ibid. ad 1.) R. licet nomen personæ in Scriptura veteris, & novi Testamenti non invenitur dictum de Deo: tamen id, quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura invenitur dictum de Deo, scilicet, quod sit maximum per se ens, & perfectissimè intelligens. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundum vocem, quæ sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur, quod nunquam in alia lingua possit aliquis loqui de Deo, nisi in illa, in qua primo tradita est Scriptura. Ad inveniendum autem nova nomina antiquam fidem de Deo significantia coegit necessitas disputandi cum Hæreticis. Nec hæc novitas est, cum non sit profana, utpote a Scripturarum sensu non discordans.

Dices 2. Persona non significat substantiam, sed qualitatem, seu officium, quo unus homo aliorum actiones representat seu personat, ut fit in comedis; atque Deus non ordinatur ad representandas aliorum actiones: ergo. Ita secundum Auctores censuit Laurentius Valla Grammaticus l. 6. Elegantiarum c. 74. Responso patet ex dictis. Licet enim persona secundum id, a quo nomen est impositum, importet officium aliorum actiones representandi, attamen secundum id, ad quod significandum est impositum, significat substantiam individuum nature rationalis. Hæc aequivoatione abusus Sabellius, licet unicum in Deo suppositum admitteret, tres tamen Personas admittere non recusabat; quatenus credebatur idem suppositum plurium munere fungi, scilicet Patris per creationem, Filii per Incarnationem, Spiritus S. per animarum sanctificationem, adeoque tres Personas secundum id, a quo nomen personæ derivat etymologiam.

Quæritur 5. Quid significet in divinis hoc nomen Personæ? (Ibid. art. 4. o.) R. Persona in communi non significat relationem, sed substantiam; est enim Persona in communi rationalis nature individua substantia. In divinis autem significat relationem, non tamè ut est formaliter, & explicitè relatio, seu respectus ad terminum, sed ut est substantialitèr subsistens; quia persona in divinis constituitur per relationem ut subsistentem, ut dicemus modò. Ex quo sequitur, quod hoc nomen personæ etiam dictum de divinis, non sit nomen relativum, sed absolutum; quia, licet significet relationem, non tamè significat ut est formalitèr relatio, seu per modum relativi, sed per modum subsistentis.

Nota 1. Relationem duplicem importare conceptum, scilicet conceptum in, & conceptum ad: conceptus in est communis omnibus accidentibus, & in divinis omnibus relationibus, cum hac differentia, quod in relationibus creatis importat inhaerentiam, quia est accidens; in divinis subsistentiam, quia est substantia, identificata scilicet cum natura divina: unde fundamentum relationis divinæ, quatenus realis, non est aliquid reale distinctum ut in creatis, sed ipsa identificatio cum natura divina. Conceptus ad est relatio specificus, eoque distinguitur ab aliis accidentibus, & distinguuntur diversæ relationes inter se, quatenus dicunt respectum ad diversa terminos.

Nota 2. cum Cajetano, quem sequuntur Joannes a S. Thom. & plures alii Thomistæ, in ipso conceptu ad posse iterum distingui duplicem conceptum, seu duplicem rationem: primam, quatenus est entitas relativa in se, seu in actu signato, & efficiens ut quo subjectum: secundam, quatenus ipsum exercitè, & actu refert ut quod ad terminum. Prius est enim concipere relationem in se entitatèr efficiens ut quo subjectum, quam ipsum actu referre ad terminum, sicut prius est concipere albedinem entitatèr, & in actu signato afficere ut quo parietem, quam ipsum actu reddere albam, licet sint semel, & simul tempore.

Neque dicas, hunc conceptum ad efficiens ut quo subjectum, seu in actu signato coincidere cum conceptu in; nam conceptus in non solum pertinet ad lineam entis relativi, sed etiam absoluti, quia non importat tantum inhaerentiam vel subsistentiam ipsius ad, sed etiam prædicata intrinseca, & absoluta entis creati, vel increati. Ita ut, si sit relatio creata, & accidentalis, importet non solum inhaerentiam, sed etiam rationem entis limitati, dependentis, potentialis, &c. omnesque perfectiones, & imperfectiones talis accidentis: si sit relatio increata, conceptus in importat, non solum esse subsistens, & reale, sed etiam ipsam entitatem divinam cum omnibus attributis, & perfectionibus, quæ in Ly divina includuntur: cum hoc tamè discrimine, quod ea, quæ perfectionis sunt, & pertinent ad rationem essendi, & existendi, non transeunt ad conceptum ad, nec in ejus ratione multiplicentur; quia totum, quod est divinitatis, & perfectionis, manet unum, & commune tribus Personis, neque in eo opponuntur relationes. At verò esse subsistens, & reale transeunt ad ipsum ad, & in ejus ratione formalitèr multiplicentur; quia in ratione subsistentiæ, & realitatis multiplicentur relationes. In ratione quidèr subsistentiæ, quia ad subsistentiam pertinet terminatio incommunicabilis, incommunicabilitas autem habetur per oppositionem, & per consequens per ipsum ad ut ad. In ratione realitatis; quia terminus realitèr respicitur, & non solum per rationem, ad differentiam relationis rationis. Uno verbo, quidquid ad perfectionem, ad essentiam, ad divinitatem, ad esse pertinet in relationibus divinis, tenet se ex parte in, & non multiplicatur in relationibus, sed identicè invenitur in illis. Quidquid autem est oppositionis, & multiplicationis, ut relatio, subsistentia, personalitas, etiam reale sit, pertinet ad ipsum ad, ut distinguitur implicitè ab in, & in illo conceptu ad formalitèr invenitur; sic tamè, quod ipsa realitas oriatur ex ipso in, sicut in relationibus creatis oriatur ex fundamento: sed in divinis esse, seu realitas relationis non pendet ex fundamento, sed ex identificatione cum essentia divina; fundamentum autem, puta generatio activa, requiritur solum ad exercitium relationis in respiciendo, & attingendo terminum, ut dicemus infra. Plura circa explicationem hujus distinctionis Cajetani vide, si lubet, apud profundissimum Theologum Joannem a S. Thom. Dissert. 16. art. 1. a quo hæc pauca hausimus ad intelligentiam hujus difficultis questionis; pro cuius resolutione.

Dico: (Hic. q. 40. art. 2. & 4. q. 8. de pot. art. 3.) Personæ divinæ constituentur relationibus, non sub conceptu formæ exercitè referentis; sed sub conceptu entitatis, seu formæ efficientis subjectum, & hypostaticè subsistentis. Prob. ratione, quia simul confutantur varis sententiæ. Personæ divinæ constituentur per aliquid reale; sed illud reale in divinis non potest esse aliud, quam relatio: ergo. Major constat, personæ enim divinæ sunt reales, & realitèr inter se distinguuntur independenter ab intellectu: eo autem constituuntur, quo sunt, & distinguuntur. Prob. Min. Omne reale, quod possumus concipere in divinis personis, vel sunt ipsæ personæ secundum se totas spectate, vel aliquid absolutum commune omnibus, vel aliquid notionale proprium cuilibet; & istud notionale est triplex, nempe origo, inaccessibilitas respectu personæ patris, de quo est potissimum difficultas, & relatio; atque ex his omni-

bus rationibus nulla præter relationem potest constituere divinam personam: ergo. Singulæ minoris partes sunt probandæ.

Prob. 1. pars Min. contra Præpositivum, & Gregorium Ariminensem. Eo personæ divinæ constituentur in ratione talitèr personæ, quo ab invicem distinguuntur; atque personæ divina non distinguuntur inter se se totis, alias differrent per essentiam, & in essentia, in qua tamè conveniunt: ergo. Hinc in Concil. Lateran. cap. Firmiter dicitur: SS. Trinitas secundum communem essentiam est indivisa, secundum verò personales proprietates discreta. Et in Concil. Flor. sess. 1. asseritur Personæ divinæ per suas proprietates differre. Unde hæc sententia Præpositivi, cujus meminit S. Thom. infra quest. 321 art. 2. communiter a Theologis rejicitur, & variis censuris notatur. Prob. 2. pars Min. Quod est commune tribus personis, non potest speciale constituere personam ab aliis discretam; atque omnia absoluta in Deo sunt tribus personis communia, ut fatentur omnes Theologi: ergo. Unde hæc sententia, quæ tribuitur Joanni de Ripis, Licheto, & paucis veteribus, jam è scholis exalavit, ut ad minus erronea; & temeraria: Prob. 3. pars Min. & 1. quod persona Patris non constituitur per inaccessibilitatem contra Vasquez, & Alarcon: Quia inaccessibilitas sumitur, vel formalitèr, vel fundamentalitèr. (Q. 40. a. 3. ad 4.) Si formalitèr, tunc nihil ponit, sed dicit solum negationem principii, persona autem Patris realis est, & per aliquid reale constituitur. Si sumatur fundamentalitèr, id est, per fundamentum talis negationis, vel illud fundamentum est absolutum, adeoque personam constituere ineapat, ut diximus, vel relativum, quod non potest esse aliud, quam relatio Paternitatis.

Respondet Vasquez, esse relativum rationis, idque putat sufficere; quia, inquit, cum personarum constitutio non sit realis, sed rationis, ad eam sufficit relatio rationis. Sed contra. Licet constitutio personæ divinæ sit rationis ob defectum distinctionis realis inter constituentes, & constitutum, ipsum tamè constitutum est reale, idque constitutum debet per aliquid reale. Sic in homine, licet ejus constitutio sit tantum rationis, quia rationale non distinguitur realitèr ab illo, & alii constituentibus, quia tamè constitutum est reale, non potest constitui nisi per rationalitatem realem.

Respondet Alarcon, fundamentum hujus negationis non esse relationem realem, sed transcendentalem, scilicet relationem fontalis, seu radicalis principii. Sed contra. Relatio transcendentalis est aliquid absolutum ut connotans aliud, ut docent omnes Philosophi; & patet in potentis, & habitibus, quæ licet constituantur per relationem transcendentalem, sunt tamen entia absoluta, nec ad prædicamentum relationis pertinent.

Prob. (Q. 40. cit. art. 2. o.) iterum 3. pars Min. scilicet personæ non constitui per origines activas, & passivas, quæ sententia communiter tribuitur S. Bonaventuræ. 1. Contra rationem originis est, quod constituit personam: ergo. Prob. Ant. 1. Persona importat ex suo conceptu essentiali esse fixum, & permanentem, atque in facto esse, cum sit ultimus terminus nature reddens illam incommunicabilitèr subsistentem; atque origo recipitur essentialitèr ut in fieri, nempe activa ut influxus & egressus a principio, passiva ut via & tendentia ad terminum: ergo. Prob. 2. idem Ant. Orig. activa supponit personam, a qua egressitur; actiones enim sunt suppositorum; & prius est personam esse, quam personam operari: ergo eam non constituit: passiva verò præsupponitur ad personæ constitutionem, quia est via ad illam constituendam; unde non potest dici illam constituere formalitèr, sed vitalitèr tantum & causalitèr: sicut Petrus constituitur formalitèr homo per humanitatem; vitalitèr tantum & causalitèr per nativitatem: queritur autem hic de constitutivo formalitèr: ergo.

2. Ad hoc, (Ibid.) quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, sicut in rebus creatis per materiam, vel formam; atque origo alienius rei non significat ut aliquid intrinsecum personis divinis, sed ut via quædam a re, vel ad rem: ergo. Et advertet, S. Doctorem non dicere originem non esse aliquid intrinsecum Deo; est enim actus in eo immanens; sed non significari ut aliquid intrinsecum, quia significatur ut via a generante ad genitum, sicut juxta nostrum modum concipiendi non posse esse constitutum & distinctivum personarum.

Superest igitur, ut sola relatio sit divinarum Personarum constitutum; quia sola est illarum ad invicem distinctivum sola autem distinguit, quia sola adfert oppositionem & incommunicabilitatem, omnia enim absoluta sunt tribus personis communia. Unde illud celebre Boetii: Substantia prebet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem: & istud vulgatum Anselmi: Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio. Et in Concil. Tolet. II. in confessione fidei habetur sic: In relatione personarum numerus cernitur; & infra: hoc solo numerum insinuat: quod ad invicem sunt. Relatione, Theol. Billuart. Pars Prima.

inquam, constituuntur personæ, sicut quidem relatione in actû exercitè, seu concepta ut forma actû & exercitè respiciente seu quasi deosculante ut quod terminum, ut sic enim supponit personam; & sequitur ad generationem; sed relatione in actu signato, conceptu ut quod secundum quidditatem quatenus efficiens subjectum & quidem substantialitèr, utpote identificatam cum natura divina, sub quo conceptu habet rationem formæ hypostaticæ & subsistentis. Hoc diligenter advertet ad solutionem difficultatis objectionum.

Objectiones pro Sententiâ impugnatâ.

Obj. 1. pro sententiâ Præpositivi. Paternitas est idem realitèr cum Patre: ergo Patrem constitui Paternitate, est constitui seipso. R. D. Ant. Paternitas est idem realitèr cum Patre, cum distinctione virtuali per modum expliciti, & impliciti, C. sine tali distinctione, N. etenim Pater importat explicitè & constitutivè naturam divinam, quam paternitas implicitè tantum & per realem transcendentiam importat, unde Pater dicitur constitutus in ratione personæ, non seipso, sed per ternitatem.

Repones: Pater non est minus simplex, quam Paternitas; atque Paternitas nullo alio; sed seipso sola constituitur: ergo & Pater. Item essentia divina summe simplex ex seipso constituitur, & distinguitur a qualibet alia re: ergo & personæ divinæ simplicissimæ. R. ad 1. N. Conseq. causa enim, cui Paternitas seipso sola constituitur, non est, quia est simplex, sed quia significatur in abstracto & per modum formæ, quæ non constat formalitatibus virtualitèr distinctis: at e contra Pater significatur per modum totius & concreti, constantis nature, & Paternitate inter se virtualitèr distinctis. Ad 2. N. pariter Conseq. disparitas est, quod in essentia divina non distinguitur aliquid, quod sit proprietatis, & aliquid, quod sit commune; sed seipso tota differt a qualibet re creata; ac personæ divinæ habent aliquid commune, in quo conveniunt, scilicet essentiam, & aliquid proprium, in quo differunt, scilicet relationes, quibus idèr constituuntur.

Urgebis: Si persona alio, quam seipsa, constituitur, ab ipso causabitur & dependebit; atque ergo Pater Major; quia constitutum causatur & dependet a constituyente. R. nullam ibi reperiri causalitatem & dependentiam; quia inter constitutum & constitutum nulla est actualis realis distinctio, sed summa identitas; & licet constitutum sit reale, constitutum tamè est rationis, sicut distinctio, ut diximus supra. R. tam alius, intercedere tantum ibi causalitatem & dependentiam virtuales, non tamè hoc sensu virtuale, quod aqua valeat causalitèr, & dependentiæ reali; id enim importat imperfectionem; sed virtuale, hoc sensu, quod Pater sit comparatur ad Paternitatem, ut, si per impossibile ab aliquo posset causari & dependere, a nullo alio, quam a Paternitate, causaretur & dependere: sic attributa possunt dici virtualitèr dependere ab essentia.

Obj. 2. pro sententiâ Joannis de Ripis; Subsistentia in Deo est quid absolutum; sed persona divina constituitur per subsistentiam: unde Aug. l. 7. de Trinit. c. 4. dicit: omnis res ad seipsam subsistit, quantum magis Deus; & D. Thom. q. 9. de pot. art. 5. ad 15. docet, personas divinas habere ab essentia quod subsistant: ergo. R. D. Maj. subsistentia, prout importat persistentem independentem ab alio ut sustentante, est quid absolutum, C. prout importat persistentem incommunicabilitatis, N. de subsistentia primo sensu sumpta intelliguntur SS. Aug. & Thom.

Obj. 3. pro sententiâ D. Bonaventuræ plures auctoritates Patrum, Fulgentii, Aug. Damasceni, &c. quibus asseritur personas constitui per origines, imò ipse D. Thom. q. 40. cit. art. 2. o. dicit, quod utroque modo, scilicet originibus & relationibus constituentur, quamvis prius & principalitèr per Relationes secundum modum nostrum intelligendis: ergo. R. 1. Patres per origines intellexisse, relationes originum; seu quæ in origine fundantur. Ita D. Thom. Augustinum & Richardum a S. Vlen. explicat q. 8. de pot. art. 3. ad 13. & 14. R. 2. personas posse dici constitui per origines quâs a posteriori, & quoad nos; quia nos ex eo, quod una realitèr procedat ab altera, colligimus constitui per relationes; vel dicuntur constitui per origines, non formalitèr, sed vitalitèr, sicut Petrus dicitur constitui formalitèr homo per humanitatem, vitalitèr per nativitatem; & idèr dicit S. Thom. quod principalitèr constituantur per relationes.

Obj. 4. pro eadem; Primum rei distinctivum est illius constitutum; atque origo, v. gr. generatio activa distinguit Patrem a Filio & Spiritu S. siquidem illi conveniat, & istis repugnet, estque prior paternitate utpote ejus fundamentum: ergo. R. 1. D. Maj. Primum rei distinctivum intrinsecum est, & C. distinctivum extrinsecum, N. Orig. autem concipitur ut ege-

diens, adeoque extrinseca. R. 2. D. Min. Origo est prior Paternitate in actu exercitio referendi ut quod, C. Paternitate in actu signato ut quo, efficiens subjectum per modum formae hypostaticae, N. Solutio patet ex dictis, & magis patebit ex modo dicendis.

Inst. contra hanc 2. responsionem: Sane generatio passiva est prior filiatione sub quovis conceptu: ergo. R. D. Ant. Generatio passiva est prior filiatione, ut quid viale, & extrinsecum personae Filii, C. Ant. ut quid permanentis, & ipsi intrinsecum, N. Ant. saltem secundum modum significandi, & concipiendi, de quo agitur.

Replicabis: Licet origo, tam activa, quam passiva, sub explicito conceptu fluxus, & vice non possit constituere personam, quidni ut forma hypostatica, & sub conceptu subsistentis, quem implicitè includit, hoc ipso quo divina est? sicut in nostra sententia, licet relatio sub conceptu explicito actu referendi non constituat personam, eam tamen constituit sub conceptu formae hypostaticae, & subsistentis, quem implicat: ergo. R. N. Ant. & pariter; pro quo adverte, quod, dum quaerimus constitutum divinarum personarum, investigamus illud per ordinem ad modum nostrum concipiendi, fundatum tamen in re cognita. Porro, juxta modum nostrum concipiendi, & significandi, origo non exprimitur nisi per modum tendentiae, & vice, seu ut dicit D. Thom. ut via a re, & ad rem, unde origo non potest concipi nisi ut extens a subjecto, vel tendens ad subjectum, ipsique extrinseca, subindeque non potest concipi ut constituens subjectum. At vero relatio, licet explicitè respiciat terminum, per se tamen afficit subjectum, quod refert; nec enim referret, nisi afficeret. Hinc nascitur secunda disparitas, sive praecedens magis explicatur, scilicet quod relatio vi etiam conceptus expliciti referentis implicet, & exigit permanentiam, sive inherendo, si sit creata, sive subsistendo, si sit increata. At vero origo vi conceptus expliciti originis non implicat, aut exigit permanentiam; ut Patet in generatione creata, quae licet inherat, non inheret tamen permanentè, sed viatè, & transeuntè.

Repones. Secundum probabiliorè sententiam, quam eligimus supra, intellectio actualis est constitutiva divinae naturae, non quidem sub ratione actionis, sed sub ratione ultimae actualitatis per se subsistentis; atqui origo divina, v. gr. generatio activa, est ipsum intelligere actuale, & quidem permanentis, cum non sit actio transiens: ergo poterit constituere personam Patris, non quidem sub ratione actionis, & originis, sed sub ratione ultimae actualitatis in genere notionali. Patet Conseq. tunc a paritate rationis; tum quia natura divina non habet esse minus fixum, & permanentis, quam persona. R. N. Conseq. Disparitas est, quod origo significatur ut mera productio, & via ad terminum, nec vi conceptus expliciti, ut diximus, implicat, aut exigit permanentiam: at vero intelligere non significatur ut productio, seu ut actio egrediens, & vitalis, sed ut actus immanens ultimus in actualitate intelligibili, unde per se aptum est constituere naturam in ultima actualitate purificatam; non verò origo personam, quae significatur in facto esse, & per modum per se stantis, & permanentis, non per modum viae. Insuper ad constituendum divinam naturam non requiritur incommunicabilitas, sed prima, & summa actualitas, quam praestat intelligere actualissimum; ad constituendam autem personam requiritur incommunicabilitas, quae non habetur nisi Relationibus: origines enim, v. gr. generatio activa, seu intelligere notionale, non sunt incommunicabiles, nisi quatenus modificentur relationibus ut oppositis. Hinc vides, Contentiosum perpetuam dixisse hanc instantiam in nostra sententia de constitutivo divinae naturae, esse insolubilem.

#### Objectiones directae contra nostram sententiam.

Obj. 1. Pater, de quo est potissimum difficultas, pro priori ad generationem supponitur constitutus in ratione personae; siquidem generatio procedat a generante, & prius sit persona, quam operetur; atqui relatio Paternitatis non convenit Patri pro priori ad generationem, sed generationem sequitur, utpote in ea fundata: ergo persona Patris constitui non potest relatione. Haec est summa difficultas, & quidem summa difficultas. Respondent plures, etiam ex Thomistis, secundum distinctionem conceptus in & conceptus ad, & sic distinguunt Minorè: Relatio Paternitatis sub conceptu ad non convenit Patri pro priori ad generationem, C. sub conceptu in, N.

Quamvis non diffiteamur, hanc responsionem esse probabilem: attamen, cum hic agatur de constitutivo personae specialis, & ut incommunicabilis atque distincte ab aliis personis, non satis concipimus, quomodo id praestari queat a relatione secundum conceptum in: nam 1. conceptus in est quid commune omnibus personis: ergo per illum non potest con-

stitui persona specialis secundum ultimam suam differentiam, & ut distinguitur ab aliis personis. 2. Et maxime: per id constituitur persona, per quod redditur incommunicabilis; est enim naturae intellectualis individua, id est, incommunicabilis substantia; atqui relatio sub conceptu in non tribuit incommunicabilitatem, sed tantum sub conceptu ad: ergo. Prob. Min. In tantum relatio tribuit incommunicabilitatem, in quantum opponitur alteri; in tantum opponitur alteri, in quantum se habet ad illud ut ad correlativum; non potest autem se habere ad aliud ut ad correlativum per conceptum in, secundum quem respicit subjectum tantum, sed per solum conceptum ad: ergo. Existimamus itaque dicendum juxta distinctionem Cajetani, initio articuli propositam, relationem Paternitatis etiam secundum conceptum ad, non quidem in actu exercitio, sed in actu signato, convenire Patri pro priori ad generationem, & eo constitui personam Patris. Unde ad argumentum R.-D. Min. Relatio ut quod & in actu exercitio, seu quantum ad exercitium ipsius respectu per modum tendentiae actualis, & attingentiae sui termini, non convenit Patri pro priori ad generationem, C. Min. ut sic enim in generatione fundatur. Relatio ut quo & in actu signato, seu sub conceptu realitatis subsistentis incommunicabiliter, non convenit, & C. N. Min. Ut sic enim non fundatur in generatione; quia ut sic non indiget fundamento, sed identificatione cum natura divina, a qua radicaliter habet quod subsistat formaliter, & ipsum subsistere habet incommunicabilitatem ab ipsa relatione in actu signato, seu ab ipsa realitate relationis ut oppositae, & exclusivè sui termini, quo instanti prioritas a quo nondum explicatur fundamentum, quin potius fundamentum oritur, & sequitur ex tali realitate relationis ut subsistentis; quia actus notionalis generandi oritur ex ipsa persona ut subsistente, atque adeo ex ipsa relatione ut realiter incommunicabiliter.

Inferes: ergo Filius intelligitur ante generationem; quod est absurdum. Prob. illatio. Pater intelligitur ante generationem; atqui relativa sunt simul natura, & cognitio: ergo. R. N. Illationem. Ad Prob. D. Maj. Pater intelligitur ante generationem ut persona subsistens incommunicabiliter, & ut Pater fundamentaliter, C. Maj. ut actu relatus ad Filium, & ut Pater formaliter, N. Maj. Similiter, D. Min. Relativa in actu exercitio sunt simul natura, & cognitio, C. in actu signato, N. quia tunc non consideratur terminus ut actus per tendentiam, sed exclusus a realitate ipsius ad, seu relationis, ut constituitur in se opposita. Itaque semper involvitur aliquo modo terminus in conceptu ipsius ad, sed diversimodè, aliquando correlativè, aliquando exclusivè: correlativè, quando relatum intelligitur ut tendens actu, & quasi tangens ac deosculans terminum; exclusivè, quando intelligitur ut realitas incommunicabilis, & in se subsistens, atque in realitate oppositionis constituta in se. Unde potest distingui illatum: ergo Filius intelligitur ante generationem ut existens, & actus, N. Ut exclusus, & incommunicabilis relatione in sua constitutione, & realitate, C.

Inst. Ad ut ad, condistinctum ab in, praecise dicit ipsum respicere, & tendere ad terminum: ergo. Patet Ant. quia relatio se habet ad subjectum, & ad terminum, ad subjectum se habet per in: ergo illo remoto nihil restat de ipso ad nisi respicere, & tendere ad terminum. R. D. Ant. ad ut ad, condistinctum ab in, praecise dicit ipsum respicere terminum, ut quo, vel ut quod, C. semper ut quod, N. vel aliis terminis: dicit solum respicere vel per oppositionem, & exclusionem termini, vel per attingentiam illius, C. semper per attingentiam illius, N.

Repones: Prius est in ipso ad respicere actu terminum, quam esse entitatem ipsam relativam, & incommunicabilem: ergo. R. N. Ant. sicut enim prius est esse albedinem in se constitutam ut quo, quam dealbare parietem ut quod; sic prius est relationem esse constitutam entitatem ut quo, quam actu referre ut quod.

Urgebis: Prius est respicere actu, quam opponi termino: ergo prius est actu respicere, quam esse constitutam relationem in ratione oppositionis, & incommunicabilitatis. Prob. Ant. Opponi in relatione nascitur ex respicere, est enim oppositio unitus relativi ad correlativum. R. N. Ant. ad Prob. D. Ant. Opponi exercitè in relatione nascitur ex respicere in exercitio, C. opponi entitativè, & secundum se nascitur ex respicere in exercitio, N. Oritur enim ex respicere in actu signato, & ut quo: sic v. gr. hoc ipso quo albedo existit in pariete, est in se entitativè, & in actu signato opposita nigredini, quae nondum existit in altero pariete; non exercetur tamen oppositio, nisi duo extrema opposita existant, & demergatur alter paries.

Obj. 2. Impossibile est concipere, formam uniti subjecto, vel illud constituere, nisi tribuat illi suum effectum formalem; formalis enim effectus formae est ipsa forma communicata, & formam aliquid constituere est illi suum effectum formalem tribuere; atqui formalis affectus relationis est actus, & exercitè

referre, & non tantum posse in actu primo referre; non enim definitur per posse respicere, sed per ipsum actualem respectum, cum dicitur, cuius totum esse est ad aliud se habere: ergo. R. D. Maj. Impossibile est concipere, formam uniti subjecto, vel illud constituere, nisi tribuat illi suum effectum formalem pro omni instanti reali, & in quo, C. Maj. pro omni instanti rationis, & a quo, N. Maj. Dico itaque, quod, dum forma habet plures effectus formales, licet in re omnes tribuat subjecto capaci, cui communicatur, non tamen omnes pro omni prioritate, & instanti rationis, sic v. gr. gratia licet simul similitate temporis expellat ab anima peccatum, & eam gratam reddat, prius tamen natura intelligitur expelli peccatum, quam animam gratam reddi: Sic iterum, licet anima rationalis semel, & simul similitate temporis tribuat materiae omnes gradus vitae, prius tamen natura intelligitur ipsi tribuere gradum corporis, quam vegetativi; & istum, quam sensitivi, vel rationalis. Similiter loquendum de relatione: habet enim duo munia, seu duos effectus formales, nempe afficere subjectum, ut sit entitas realis, si sit creata; vel in se subsistere, si sit increata; & referri se respicere exercitè terminum: licet ergo relatio divina Paternitatis secundum suum formalem conceptum ad totum effectum suum formalem in re tribuat, prius tamen intelligitur conferre effectum formalem subsistendi in se, quam respiciendi terminum exercitè; quia prius est rem esse in se constitutam, & in se subsistere, quam tendere ad aliud: nec potest concipi, quod prius tangat terminum, quam in se sit; aliqua enim realitate tangit, & respicit terminum: ergo prius debet intelligi realitas constituta: idque maxime in relationibus, quae non habent realitatem, & esse ex termino, sed ex subjecto: quatenus igitur intelligitur realitas in se subsistens incommunicabiliter constituit personam Patris.

Inferes: ergo persona Patris constituitur per aliquid absolutum. Prob. illatio. Relatio non habet, quod sit subsistens, nisi quia est divina, & identificata cum essentia, quod totum est absolutum: ergo. R. N. illationem. Ad Prob. D. Ant. Relatio habet, quod sit subsistens radicaliter, quia est divina, & identificata cum essentia, C. Ant. formaliter, N. Ant. Est enim formaliter subsistens, quia est relatio infinita, & purificata ab omni potentialitate; unde repugnat illi esse accidens, quod potentialitatem involvit: quod tamen sit purificata ab omni potentialitate, habet ex identificatione cum essentia divina: sic alia attributa divina formaliter sunt substantia, & non accidens, quia sunt actus purus; radicaliter autem, quia divina sunt & identificata cum essentia.

Obj. 3. Constitutum rei debet illam distinguere ab aliis; atqui per relationem ut subsistentem Pater non distinguitur a Filio, cum pro illo priori nondum intelligatur Filius: ergo. (Q. 8. de pot. art. 3. ad 7.) R. D. Maj. Constitutum rei debet illam distinguere ab aliis actu vel potentia, C. actu semper, N. sufficienter enim, quod sit distinctivum: sic constitutum ad, antequam esset alii homines, non distinguebat illum actu ab aliis, quia non erant, sed erat tantum eius distinctivum.

Obj. 4. Ratio formae hypostaticae, & relationis exercitè in Paternitate non distinguuntur virtualiter seu ratione ratiocinata, sed tantum ratiocinante; quia sunt tantum duae formalitates, aut duo munia inadquata illius: ergo, quicquid dicitur de una, debet affirmari de alia, & consequenter si Paternitas ut forma hypostatica constituit Patrem, constituit etiam ut relatio exercitè.

Respondent quidam, nec improbabiler, has duas formalitates distinguunt virtualiter, quia aequivalent pluribus perfectionibus creatis ad diversas lineas pertinentibus, relationi scilicet, & subsistentiae. Ceterum, dato. Ant. N. Conseq. quia hic quaerimus constitutum divinae personae secundum modum nostrum concipiendi, & intelligendi. Unde ratione diversorum conceptuum, quorum unus est explicitus, alter tantum implicitus, affirmamus unum, altero non affirmato, licet implicite importato. Sic v. gr. de secunda persona Trinitatis dicimus, quod sit verbum creaturatum, non Filius, licet ratio Verbi, & ratio Filii in ea non distinguantur virtualiter.

Obj. 5. de persona Filii, & Spiritus S. Productio ipsa personae terminatur ad personam ut productam, non ut relatum: ergo prius intelligitur persona producta, quam relata: ergo relatione non constituitur formaliter. Prob. Ant. secundum Philosophos, ad relationem per se, & directè non est motus: ergo. R. D. Ant. Productio personae terminatur ad personam ut productam, non ut relatum ut quod, & in actu exercitio, C. non ut relatum ut quo, & in actu signato, N. quia entitas termini producti est entitas relationis, nec alia realitas productiva, quam talitas relationis. Quod autem opponitur, ad relationem non dari per se motum, verum est de relationibus creatis, quae non sunt substantiae, sed accidentia debilissimae entitatis, quae exurgit ex fundamento. De relationibus autem divinis, licet id etiam verum sit quoad exercitium respiciendi, quod conse-

quitur ex suo fundamento, quod est generatio, non tamen quoad realitatem, quae cum sit per se subsistens, ad eam potest datur motus seu actus, qui est processio notionalis.

#### ARTICULUS III.

Utrum in Deo, secundum se considerato, & Relationibus ac Personis praetintellecto, detur aliqua subsistentia absoluta.

Nota. 1. Subsistentiam quatuor importare: 1. Singularitatem, res enim in generali non subsistunt. 2. Modum existendi per se independenter ab alio sustentante, qui dicitur personae independentiae. 3. Modum existendi incommunicabiliter, seu incommunicabilitatem naturae ut suppositae, & terminatae alteri termino & supposito, qui dicitur personae incommunicabilitatis. 4. Ipsum concretum naturae per modum habentis ipsam, & principii quo operationum; quod est explicare naturam, non solum per modum principii quo, & per modum formae, quia aliquid constituitur, ut Deitas, humanitas, &c. sed etiam per modum habentis naturam, ut Deus, homo, &c. per modum principii quod actionum: unde communiter dicitur, actiones esse suppositorum, seu subsistentium.

Nota 2. A nemine negari, Deum secundum se consideratum esse singulare; non enim est quid universale, sed unus & singularis Deus. Similiter certum est, Deum, secundum se consideratum, remoris personalitibus, non esse incommunicabilem, adeoque nec esse suppositum seu personam, quae essentialiter importat incommunicabilitatem. Patet, quia alias forent quatuor personae, quod est contra fidem: & aliunde certum est, naturam divinam secundum se esse communicabilem tribus personis, alias istae personae non essent divinae, & neque Deus. Unde concedimus, non dari in Deo subsistentiam absolutam, si subsistentia adaequate sumatur pro ultimo naturae termino, quo reddatur per se existens, & ulterius incommunicabilis. Sed difficultas est, utrum in Deo secundum se considerato detur subsistentia absoluta quoad personam independentem, ac constitutionem concreti, & principii quod operandi. Negant plerique extra Scholam D. Thom. Affirmant communiter Thomistae, & cum eis plures extranei; sed videtur ferre quae de nomine, in hoc enim maxime versatur, utrum personae independentiae sine incommunicabilitate possent dici subsistentia, vel non?

Dico (In 1. d. 21. q. 2. art. 1. 4. c. g. e. 14. q. 9. de pot. art. 5. ad 13.): In Deo, secundum se considerato, & relationibus ac personis praetintellecto, datur subsistentia absoluta, qua existit per se independenter ab alio sustentante, & constituitur principium quod operandi.

Prob. 1. auctoritate S. Aug. 7. de Trin. c. 4. Omnis res ad seipsum subsistit, quanto magis Deus. Idem docent Hieron. Ep. 57. ad Damasum; Cyrillus Alexandr. & alii, sed & maxime D. Thom. locis cit. dicit enim in 1. cit. Natura divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione. 4. contr. gent. cit. In Deo sunt plures res subsistentes, si relationes considerentur, & una res subsistens, si consideretur essentia. Q. 9. de potent. cit. Supposita divina naturae non sunt principium subsistendi divinae essentiae, ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens. Tandem in 3. dist. 6. q. 2. art. 2. ad 2. In Deo, inquit, ipsa essentia subsistens est, unde sibi secundum se debetur esse.

Respondet Vasquez, subsistentiam in his auctoritatibus sumi pro existentia. Sed contra 1. Simili modo potuerunt glossari omnia testimonia, quae afferuntur ad statuendas contra Durandum tres subsistentias relativae, quod non admittit Vasquez. Contra 2. juxta hanc intelligentiam locutiones D. Thom. forent nugatoriae, scilicet quando dicit, quod divina essentia est suum esse subsistens, significaretur, quod esset sua existentia existens; & quando ultimo loco inferit Deo deberi esse, quia est subsistens, sensus esset Deo deberi existentiam, quia est existens; quae illatio foret omnino nugatoria & ridicula.

Prob. 2. ratione fundamentali. Deus, secundum se consideratus, & relationibus ac personis praetintellectis, est revera subsistens; atqui non subsistentia relativa & personalis: ergo subsistentia essentialis & absoluta. Minor patet. Maj. in qua est difficultas prob. multipliciter. 1. Deus, secundum se consideratus, & ut personis praetintellectis, creat & operatur ad extra, alias non forent indivisa opera Trinitatis ad extra: hanc intelligitur intelligens, & volens in illo priori: ergo & subsistens. Patet Conseq. quia, cum subsistentia sit actus substantialis, prius natura convenit quam operatio, quae ex communi conceptu non est actus substantialis: unde dicit S. Thom. infra q. 75. art. 2. Nihil potest per se operari, nisi quod per se subsistit: & illud commune axioma: actiones sunt subsistentium.

2. Subsistere dicitur maxime perfectionem; dicit enim modum essendi perfectissimum; atqui Deo, secundum se consi-

derato, & personis præintellecto, convenit omnis perfectio: ergo. Patet Minor; tum quia Deus, secundum se consideratus, & præintellectus relationibus, est actus purus, infinitus, ipsum esse in se & se, independentem a quocumque alio. Item, quia a relationibus nullam habet perfectionem, ut supra diximus, sed potius suam illis tribuit: ergo.

3. Deo antecedenter ad personas convenit esse seu existere per se & ut quod: ergo & subsistere. Patet Conseq. Quia per substantiam absolutam hic nihil aliud intelligimus, quam perscitatem independentem & principium quod, seu existere per se & ut quod: & aliunde in principis Scholæ Thomisticæ & D. Thom. maxime 3. p. q. 17. esse seu existere per se est actus substantiæ, ita ut existentia non sequatur, sed supponat substantiam ergo, si Deus antecedenter ad personas habet, non solum radicaliter, sed etiam formaliter, existentiam, a fortiori substantiam. Antecedens autem videtur manifestum. Et 1. quod existentia ipsi convenit secundum se, patet, quia existentia est quid absolutum, imò ipsa Dei essentia absque ulla virtuali distinctione. Quod autem existentia per se, & ut quod, etiam videtur evidens; quia perfectus, independentius, & purius est habere existentiam per se, seu per modum substantiæ & ut quod, quam ut quod; quia habere ut quod est habere esse in se & per se, non in alio; habere autem esse ut quod non excludit, sed exigit esse in alio, vel ut accidens in subjecto, vel ut pars in composito; atqui Deo, secundum se considerato, utpote actui puro, perfecto, & independenti convenit modus existendi purior, perfectior, & magis independentis: ergo.

#### Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Juxta Concilia & Patres, substantia latine idem est ac hypostasis græcè; atqui a nullo Theologo admittitur in Deo una hypostasis absoluta: ergo nec substantia. R. D. Maj. Substantia latine idem est ac hypostasis græcè in frequentiori acceptione, C. in omni sua acceptione, N. Sicut v. gr. hoc nomen *Substantia*, licet accipiatur communius pro essentia, aliquando tamen etiam accipitur pro supposito; ita similiter, licet substantia communius, & frequentius usurpetur pro hypostasi & persona, importante perscitatem independentem, simul & incommunicabilitatis, aliquando tamen etiam usurpatur tantum pro perscitate independentem constituyente principium ut quod. Ita SS. Aug. Thom. Hieron. & Cyrillus, citati & Hilarius l. 7. de Trin. ubi ait, Patrem & Filium *Inesse sibi invicem, ut substantiæ naturæ habeant perfectam unitatem.*

Hinc præoccupatur obiectio adversariorum, qua volunt perscitatem independentem, seclusa incommunicabilitate, non posse dici substantiam; securè enim, ubi est tantum questio de nomine, stamus modo loquendi Patrum; temerariumque reputamus dicere cum quodam, Aug. & Hieronymum non satis intellexisse hujus vocabuli *Substantia* significationem. Et sanè numquid anima rationalis a corpore separata dicitur, & est verè subsistens, licet non gaudeat perscitate incommunicabilitatis, utpote renuntianda corpori in resurrectione? Insuper sic instor non minus pertinet ad substantiam conferre perscitatem independentem, quam perscitatem incommunicabilitatis; atqui relationes divinæ sunt, & dicuntur, etiam ab adversariis, verè substantiæ, quia conferunt perscitatem incommunicabilitatis, licet non conferant perscitatem independentem: ergo a pari, formalitas, de qua loquimur, est dicenda verè substantia, quia, licet non tribuat perscitatem incommunicabilitatis, confert tamen perscitatem independentem; & eo maxime quod non tribuat solum nature divinæ perscitatem independentem in existendo, sed etiam rationem principii *Quod* in operando respectu creationis, conservationis, item intellectus, & voluntatis essentialis: ergo & veram substantiam; actiones enim sunt substantium.

Dices cum Tournello: Humanitas Christi, præcisè Verbi personalitate, est independentis a subjecto, nec tamen est subsistens: ergo perscitas independentem non sufficit, ut dicatur substantia. R. D. Maj. Humanitas Christi, præcisè Verbi personalitate, est independentis a subjecto in potentia & aptitudine, C. actu. N. quia sub hac præcisione non est existens actus, existit enim per Verbum; unde non est mirum, si non sit subsistens.

Cæterum observandum cum nostro Gonetio, quod, sicut non dicimus simpliciter tres substantias, ne detur occasio erroris, sed cum addito, v. gr. tres substantias individuas, seu relativas; ita similiter, ut auferatur æquivocatio, & occasio erroris, non dicimus simpliciter unam substantiam, sed unam substantiam absolutam, seu cum alio simili addito, denotante nos loqui de substantia absoluta.

Obj. 2. Si Deus, relationibus præintellectus, habeat substantiam absolutam, erit persona, adeoque erunt quatuor personæ in divinis, quod est hæreticum. R. N. Ant. Solutio patet

ex dictis; quia ad personæ rationem requiritur incommunicabilitas, quam non adfert substantia absoluta.

Inst. Juxta D. Th. 3. p. q. 6. art. 3. ad 1. hoc ipso quo quid est subsistens in natura intellectuali, est persona: *Quidquid, inquit, eorum, quæ attribuntur Deo in abstracto, si secundum se considerentur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens & per consequens persona, cum sit in natura intellectuali. Sicut igitur, nunc positus in Deo proprietatibus personalibus dicimus tres personas; ita, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra divina natura a ut subsistens & ut persona.* R. N. Ant. ad verba D. Thom. quidam respondent, ibi sumere personam improprie & incompletè pro natura intellectuali subsistente, sive communicabiliter, sive incommunicabiliter. Verius tamè videtur, S. Doct. loqui in suppositione, quod ita excluderentur proprietates personales, ut non remaneret nisi una persona, qualem Deum imaginatur Judæi, ut dicit ad 2. non autem in suppositione præsentis, qua fide tenemus tres personas. In 1. enim suppositione foret natura divina persona, quæ præcisè sic exclusive proprietatibus personalibus, foret subsistens incommunicabiliter. In 2. autem suppositione, in qua supponuntur tres personæ, a quibus præscinditur natura negativè tantum, & non privativè seu exclusive, est semper personis communicabilis, adeoque non persona.

Si dicas, saltem fore semi-personam, quia habet unum ex prædicatis essentialibus personæ, scilicet perscitatem independentem: R. Sequelam a quibusdam tribui Cajetano, sed immerito, ut testatur Nazarius apud Contensonium, qui refert eum dixisse personam incompletam: non semi-personam. Itaque N. sequelam. Etenim essentia rerum consistunt in divisibili, sicut numeri. Unde, sicut detracta unitate mutatur species numeri, ita ablato aliquo prædicato essentiali solvitur species. Sicut ergo equus non dicitur semi-homo, licet gaudeat animalitate, quæ est prædicatum essentialis hominis; ita nec natura subsistens communicabiliter debet dici semi-persona, licet substantia perscitate sit unum ex essentialibus personæ.

Obj. 3. Ut natura divina subsistat, tam perscitate independentem, quam incommunicabilitatis, sufficientes personalitates, seu substantiæ relative: ergo frustra ponitur absoluta. Prob. Ant. 1. a pari. In creatis personalitas utrumque præstat: ergo a fortiori in divinis. 1. Si in Deo foret unica personalitas, utrumque præstaret, eam a tribus non posset præstari: ergo. R. N. Ant. ad 1. Prob. N. Conseq. Disparitas est, quod in natura creata potest ab eadem forma præstari, quod perfectionis est, scilicet perscitate independentem, & quod est merè incommunicabilitatis. In Deo autem quod perfectionis est, non potest præstari nisi ab essentia, & quod est incommunicabilitatis, non potest oriri nisi a relationibus; tum quia relationes in nostra sententia nullam dicunt perfectionem, tum quia; etsi dicerentur essentiam divinam tamen in linea absoluta perfectio modo existentem supponunt, adeoque & subsistentem, ut vidimus in probationibus conclusionis. Ad 2. Probat. iterum N. Conseq. & ratio petita disparitas est, quod in casu, quo foret unica personalitas in Deo; foret perfectio absoluta: nullam autem est inconveniens, quod perscitas independentem proveniat ab aliqua perfectione essentiali & absoluta, maxime si talis perfectio identificetur cum essentia sine virtuali distinctione, ut contingeret in hypothesi: at verò nunc tres personalitates sunt relative, & virtualiter ab essentia distinctæ, illaque posteriores, est autem inconveniens, quod modus existendi perfectissimus in Deo pendeat a relationibus, ut jam dictum est.

Obj. 4. Subsistere est per se existere independentem ab alio; atqui natura divina pro priori ad relationes petit existere in illis: ergo non subsistit. R. D. Maj. subsistere est existere per se independentem ab alio ut sustentate, C. independentem ab alio ut præcisè terminante, N. Porro natura divina, licet petat existere in relationibus, non tamen ex indigentia & ut per se existat, id enim habet ratione sui, ut probatum est, sed ratione suæ infinite fecunditatis; unde est in illis ut præcisè terminantibus, non ut sustentibus.

Inst. Sustentari a supposito nihil est aliud, quam ab illo compleri; atqui substantiæ relative sunt complementa nature divinæ: cum enim non sint divinæ nature proprietates, & ad illam tamen pertineant, non possunt esse aliud, quam quidam modi, quibus completur: ergo. R. D. Maj. Sustentari a supposito nihil est aliud, quam ab illo compleri ex indigentia ad existendum, C. compleri ex summa fecunditate, ratione cuius petit existere in tribus personis, N. & distincta Minor ad sensum Majoris, N. Conseq. Solutio patet ex dictis.

Repones: Natura divina non potest existere sine relationibus: ergo ab illis completur ex indigentia ad existendum. R. D. Ant. natura divina non potest existere sine relationibus, quia est summe fecunda, C. quia est infirma, N. unde N. Conseq. Sic v. gr. omnipotentia subsistere non potest sine possi-

billitate creaturarum, nec intellectio divina sine verbo, neutra tamèn ex indigentia, sed ex fecunditate.

#### ARTICULUS IV.

Utrum, præter substantiam absolutam, dentur in Deo tres substantiæ relative?

Suppono substantiam absolutam, seu perscitatem independentem non multiplicari in personis; tum quia absoluta non multiplicatur in divinis; tum quia juxta regulam infra stabilendam, quæ conveniunt personis ratione essentia, non multiplicatur; substantia autem absoluta seu perscitas independentem, quæ est maxima perfectio, convenit personis ratione essentia, quatenus scilicet identificatur cum illa. Itaque personalitas Patris, v. g. est ipsi ratio subsistendi independentem, & incommunicabiliter: sed primum habet ratione substantiæ absolute immultiplicate in tribus personis; secundum, ratione relationis multiplicatæ; unde non sequitur, ut quidam inferunt, quod sit personalitas incompleta, licet enim hæc duo munera a diversis habeat, habet tamen. His suppositis,

Dico: Præter substantiam absolutam, dantur in Deo tres substantiæ relative, & personales.

Est communior contra Durandum, & quosdam alios; qui contendunt personas divinas constitui per solum substantiam absolutam, non quidem ut absolutam, sed ut modificatam relationibus, non verò per substantias relativas virtualiter distinctas ab absoluta. Cùm enim, inquit, in ratione personæ duo tantum importentur, scilicet *subsistere incommunicabiliter*, primum tribuitur divinis personis a substantia absoluta in iis ratione essentia inclusa; secundum a relationibus, quæ ratione suæ oppositionis relative important distinctionem, & incommunicabilitatem in personis: unde superfluum videtur præter substantiam absolutam tres relativas adstruere, si quidem ipsa substantia absoluta sola modificata relationibus possit id totum præstare, quod requiritur ad rationem personæ. Hoc est præcipuum adverse sententiæ fundamentum. Unde tota difficultas devolvitur ad hoc, ut probemus, quod præter illud subsistere absolutum, quod divinæ personæ habent a substantia absoluta, habeant insuper triplex subsistere relativum a tribus substantiis relativis.

Prob. 1. auctoritate Conciliorum, & Patrum, quorum plurima congeri possunt testimonia, sed sequentia sufficiunt. Concil. 6. generale act. 11. dicit: *SS. Trinitas numerabilis facta est personarum subsistentiis.* Damasceus l. 1. de fide c. 9. *Filius propriam habet substantiam præter eam, quæ Patris est.* Cyrillus Alexand. Dial. de Trin. l. 3. *Omnia fidei nostræ sermo hæc tenet, ut unam videamus naturam, quæ in tribus subsistentiis propriè subsistit.* Ambros. in Symb. Apost. c. 2. *Catholicum est, ut & unum Deum secundum unitatem substantiæ fateamur, & Patrem & Filium & Spiritum S. in sua quemque substantia sentiamus.* Hæc, & alia pleraque testimonia tam perspicua sunt, ut nullis adversariorum effugis eludi possint.

Si enim dicant, Patres sumere substantias in concreto pro persona, seu re subsistente; hoc dato, sequitur eos etiam admittere plures substantias in abstracto; quia, ut modò dicam, nomina substantiva non multiplicantur, nisi multiplicato suo formali. Insuper falsum est universaliter, quod assumunt; loquitur enim Concilium generale de substantiis, quatenus eis constituitur, & numeratur Trinitas, adeoque de illis ut de formis in abstracto. Si verò dicant, substantiam sumi a Patribus pro personalitate, iterum habemus intentum: personalitas enim nihil est aliud, quam substantia incommunicabilis in natura intellectuali.

Suffragatur Doctor Angelicus hic q. 29. art. 2. ad 1. *Sicut nos, inquit, dicimus in divinis pluraliter tres personas, & tres substantias, ita Græci dicunt tres hypostases.* Et infra q. 40. art. 3. ad 2. *Paternitate Pater non solum est Pater, sed etiam persona, & quis, sive hypostasis: plures alie auctoritates S. Doct. videri possunt apud Auctores.*

Prob. rationibus, in ejus principis fundatis. Prima ratio a priori: Juxta fidem Catholicam in Deo sunt tres personæ, tres hypostases, tria supposita; atqui persona, hypostasis, suppositum constituuntur formaliter substantia: ergo in divinis sunt tres substantiæ. Prob. Conseq. Ad multiplicationem nominis substantivi, quale est suppositum, & persona, requiritur multiplicatio formæ: unde, si unica daretur in Deo substantia, etsi tribus relationibus modificata, sicut datur unica natura tribus relationibus modificata, non magis possemus dicere in divinis tres personas, quam tres Deos; sed tenemus unicam personam agnoscere propter unitatem substantiæ, sicut unum Deum conhitentem propter unitatem nature. Imò non possemus dicere tres subsistentes, etiam adjectivè, sicut dicimus modò tres divinos; quia nomina adjectiva non multiplicantur, nisi

multiplicato supposito, v. g. idem homo habens plures artes, non dicitur plures artifices; non multiplicata autem substantia, non multiplicaretur suppositum, quod substantia formaliter constituitur, ut dicebamus modò.

Urgetur magis hæc ratio, & simul evertitur fundamentum doctrinæ oppositæ. Personæ divinæ constituuntur formaliter substantiis relativis; atqui sunt tres Personæ: ergo tres substantiæ relative. Conseq. patet ex discursu præcedenti. Min. est de fide. Prob. Maj. 1. ex principiis superioribus, quibus probavimus personas constitui relationibus, non ut in actu exercito, sed ut in actu signato, & in sua realitate constitutis; atqui ista realitas non est accidentalitas, sed substantialitas, imò & substantia, adeoque subsistens in suo genere relativo: & licet id radicaliter habeat ab essentia divina, cum qua identificatur, proximè tamèn, & formaliter habet ex hoc, quod in suo genere sit infinita, & omni potentialitate purificata: ergo. Prob. 2. eadem Maj. Personæ divinæ constituuntur, non mera negatione incommunicabilitatis, sed aliquo reali positivo fundante hanc negationem, seu incommunicabilitatem, aliis non multiplicarentur, nec distinguerentur realiter; atqui istud positum reale aliud esse non potest, quam substantia relativa: ergo. Prob. Min. Istud positum reale fundans incommunicabilitatem non est substantia absoluta, aut aliquid aliud absolutum in Deo, cùm omnia absoluta in Deo communia sint, & communicabilia tribus personis: ergo aliquid relativum; non relativum accidentale, cùm non detur accidens in Deo: ergo relativum substantiale, & consequenter substantia relativa, ipsa scilicet realis relationis in actu signato, ut modò dicebamus. Hæc omnia paucis complectitur S. Thom. infra q. 40. art. 3. dùm ait: *Non præintellectum proprietates personales advenire hypostasibus divinis, sicut forma subjecto præexistenti; sed feruntur secum sua supposita, in quantum sunt ipsa persone subsistentes.*

Secunda ratio a priori: De ratione substantiæ ut sic, prout abstrahit a communicabili & incommunicabili, est reddere naturam ut habentem esse per modum totius substantiæ, & principii quod agendi; ut enim fert commune axioma, actiones sunt substantium; & hac ratione admittimus in Deo, personis præintellecto, substantiam absolutam, qua constituitur principium quod actionum essentialium, & communium; atqui in Deo non solum sunt operationes essentielles, & communes toti Trinitati, sed etiam notionales, & proprie divinis personis, ut generare Patri, spirare Filio, spirari Spiritui S. ergo debent dari non solum diversi modi incommunicabilitatis, sed verè, & distincte substantiæ relative, quibus constituatur distincta principia quod harum actionum notionalium, scilicet Patet principium quod generationis activæ, Filius principium quod spirationis activæ, imò & Spiritus S. terminus qui hujus spirationis; quia, sicut principium quod, ita & terminus qui hujus actionis debet esse subsistens; sicut enim actiones, ita & passiones, seu quasi passionis sunt substantium.

Tertia ratio a posteriori, desumpta ex mysterio Incarnationis: Natura humana unita fuit Verbo, non in aliquo sibi, & aliis personis communi, aliis tres personæ essent incarnate, sed in aliquo sibi proprio; atqui unita est in ejus substantia personali suppletente vices substantiæ creatæ: ergo datur in Filio substantia personalis virtualiter distincta ab absoluta: si in Filio, pari ratione in Patre, & Spiritu S.

#### Solvuntur objectiones.

ET 1. soluta manet fundamentalis obiectio adversariorum, dum probavimus non posse multiplicari personas, non multiplicatis substantiis relativis; ac proinde non sufficere ad constitutionem, & multiplicationem personarum substantiam absolutam relationibus præcisè modificatam, sed ipsas relationes, quæ sunt substantiales, deferre secum substantias relativas ac sibi proprias, quæ fundent in illis negationem incommunicabilitatis, easque constituent principium quod actionum notionalium: sicut substantia absoluta constituit Deum, ut præintellectum personis, principium quod operationum essentialium, & communium.

Obj. 2. D. Thom. q. 8. de pot. art. 3. ad 7. dicit sic: *Relationes in divinis, etsi constituunt hypostases, & sic faciunt eas subsistentes, hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina. Relatio enim in quantum relatio non habet, quod subsistat vel subsistere faciat; hoc enim solum substantiæ est: distinguunt verò relationes in quantum relationes sunt, sic enim oppositionem habent;* quibus verbis continetur ipsissima adversariorum sententia: ergo. R. admittit verba D. Thom. & explico, & dico, S. Doctorem tantum velle, quod relatio reduplicative ut relatio, seu vi præcisè conceptus relationis non constituat hypostasim, nec faciat subsistere, quod verissimum est; si quidem in creatis sit merum accidens: quod autem in